

posuisset *Casianum*, forte *Tatianum*, seu *Carpianum* potius, ad quem *Canones* suos *Eusebius* misit, ut notum. Redeunt hae *Tabulae Cod. 125*. Univ. ut supra.

CLXXXIII.

U. 77 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 503. 4. currente calamo scriptus est *Expositio scholastica Evangelii Lucae* non ultra C. IV. v. 1. progrediens, praemissa prolixa *Ἐισαγωγή*, cujus initium: *Doctrinam sapientie et discipline scripsit in codice isto. Eccl. 50. Uniuersa diuine sapientie et discipline hystoriarum nemora que vetus obumbrant testamentum &c.* *Expositio ipsa fol. 24. incipit: Quoniam quidem multi &c. Antequam ad expositionem et diuisionem huius prologi descendam, primo aduertendum, quod secundum b. augustinum &c.* Et tandem finit: *de effectu contricionis plura moveri possent, de quibus forte inferius apparebit. hec de presenti lectione.* Reapse multae *Quaestiones theologicae* per decursum tractantur; secus enim tam paucorum *Capitum Expositio* in hanc molem non excreuisset. Tergum Codicis manu Sec. XVII. eam *Michaeli Suchenschatz* adscribit, de quo dixi ad *Expositionem Matthaei Cod. CLXIX.*

CLXXXIV.

U. 80 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 409. 4. scriptus, ut praecedens, est illius *Continuatio*, videlicet a C. VI. v. ult. in cuius ex-

plicatione abrumpitur. *Tractatio* eadem est. Tergum rursus *Michaeli Suchenschatz* praefert; involucrum autem praebent *Membranae* quaedam e ritualibus *Hebraeorum* libris decifae, quarum anterior *character* luculento cum punctis vocalibus.

CLXXXV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 148 Folior. 295. f. non una manu, sed bene perscriptus duabus columnis, et minio distinctus, *Collegio Ducali* obuenit testamento *M. Fodoci Hausner de Nouoforo* Juris pontif. et Artium liberal. ut praenotatur, *Professoris* et ad *D. Stephanum Canonici*, qui Vir inter annos 1446—64. ter supremus *Academiae Moderator*, teste in eadem *Ecclesia Epitaphio*, 29. Dec. 1477. obiit. Complectitur vero: I. *Lecturam* in aliquot *Capita Evangelii D. Lucae*, quae, ut fert *Rubrica*, *incipitur capitulo 4. et terminatur capitulo 11. Sed vel ipsum C. IV. mancum est; infit enim: potest facere sine alterius nocumento dyabolus, ergo de persona dubitat, imo conditionaliter dicit, si filius Dei es &c.* Neque etiam C. XI. emetitur *Expositio*, sed sistit in v. 28.

II. *fol. 85. Incipit expositio Haymonis super Apokalipsym.* Ita: *Legimus in Ecclesiastica hystoria Beatum Johannem a domiciano impiissimo cesare &c.* Et finit: *et in gratia terminum poneret.* Ut saepius a me relata, et typis vulgata, v. g. *Parisiis 1531. 8.*